



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117786

§. 56. Hæresis Priscillianistarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

Hæresis Priscillianistarum.

Circa illud tempus in Occidente Priscillianistarum Hæresis cœpit in lucem emergere. Hujus furia Parens fuit aliquis nomine Marcus, Ægyptius Memphitanus, & Manichæus, qui in Hispaniam profectus, primo Discipulam habuit mulierem nobilem, nomine Agapen, & secundo Rhetorem, nomine Elpidium, quem dicta famina in societatem traxerat. Hi fuerunt Magistri Priscilliani, a quo Secta nomen duxit; is erat vir nobilis, dives, optimis naturæ dotibus ornatus, eloquens vigiliarum, & famis patiens, paucis contentus, non avarus; sed iracundus, & turbulentus, levis, & litterarum profanarum scientia inflatus, quas didicerat, multa enim legerat, insatiabili sciendi cupidine ardens, qua abreptus, fertur, in Magiæ secreta investigasse. Multos ex nobilitate, multos etiam de populo in suos errores pertraxit, plurimas vero faminas, natura curiosulas, in fide instabiles, rerum novarum amatrices. Hæ igitur virum turmatim circumstabant, & reverebantur, ad modestiam habitu & vultu compositum. Jam funesta lues majorem Hispaniæ partem, imo & quosdam Episcopos corrumperat, quos inter erant Instantius, & Sal-

Prosp. Chr. an. 380. Sev. Sulp. lib. 2. hist. in fine. Hier. ad Ctesiph. c. 2. Isid. de vir. ill. c. 2.

Sæculum IV. vianus, qui novæ Hæresi fautores concili-
A. C. 380. liare studebant.

Aug. hæ. Primus, qui ad hanc pestem advertit, fuit Hyginus, seu Adyginus, Episcopus
70. Oros. Cordubensis, in cujus vicinia erant In-
commonit. stantii, & Salviani Ecclesiæ. Hyginus
ap. Aug. hujus mali certiore fecit Idacium Episcopum Emeritanum, qui summo ardore in Hæreticos istos invec- tus est. Doctrinæ eorum fundamentum idem erat, quod Manichæorum, admixtis Gnostico- rum, & multorum aliorum erroribus. Dicebant, animas ejusdem cum Divina esse substantiæ, easque sponte per septem Cœlos, & certos Principatum gradus in terram descendere, ut adversus malum Principium, Mundi Auctorem pugnant, qui eas in diversa corpora carnea disseminabat. Dicebant quoque, fata hominum a certis stellis dependere, & corpus nostrum a duodecim Zodiaci signis; subiciebant hominis caput arieti, collum Tauro, humeros geminis, & cœtera cœteris juxta Astrologorum figmenta. Trinitatem verbis solum confitebantur, dicentes cum Sabellio, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unum esse absque ulla reali Personarum distinctione. A Manichæis differebant in eo, quod vetus Testamentum aperte non rejicerent, sed do- lo agebant, quippe omnia per allegorias explicabant, & Libris Canonicis multa
Scripta

Scripta Apocrypha conjungebant. A car-^{Sæculum IV.}
 nibus, tanquam cibus immundis, abstine- A. C. 380.
 bant. In odium generationis conjugia
 dissolvebant, illa licet parte invita, quæ
 eorum erroribus non assentiebatur; di-
 cebant enim, universaliter carnem non
 Dei, sed malorum Angelorum opus esse.
 Nocte conveniebant viri, mulieresque,
 nudi orabant, multa libidine se polluen-
 tes, quam vero pertinaci silentio cela-
 bant, nam constans his hæreticis mos
 erat, si quæstionibus premerentur, om-
 nia negare; hanc legem versu latino ex-
 primebant, quo dicitur: *jura, perjura!* *Leo. ep. 15.*
secretum prodere noli! *al. 93. ad.*
 jejunabant Die *Turib. c. 4.*
 Dominica, Die Paschæ, & festo Nativi-
 tatis Domini, atque his diebus, quia cum
 aliis Ecclesiam adire volebant, secede-
 bant; hæc omnia ex odio carnis facie-
 bant, quod crederent, Jesum Christum
 non nisi apparenter natum, & resuscita-
 tum. In Ecclesia uti cæteri Euchari-
 stiam accipiebant, sed non manduca-
 bant. (*)

Pp 2 §.LVII.

(*) Eucharistiam accipiebant, sed non man-
 ducabant. Diese Worte hat der Protestant überset-
 zt: auf seiner 405. Seite. In der Kirche ge-
 nossen sie mit den andern das Abendmahl,
 aber sie nahmen weder das Brodt, noch den
 Wein zu sich. Genießen und nicht zu sich neh-
 men, wie kann dieses seyn? Die Worte Brodt und
 Wein